



DISSE³³
TATIO INAUGURALIS MEDICA³⁴

Tradens

NOVAM PATHO- LOGIAM CALCULI RENUM,

QVAM
DEO ANNUENTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENB. HÆREDE &c. &c.
JUSSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

D. PROF. PUBL. ORD. ET FACULT. MED. ASSESS.
DN. PATRONI, ATQUE PRÆCEPTORIS OMNI PIETATIS
CULIU DEVENERANDI

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA, rite ac legitimè capessendi,

Ad d. Octob. MDCXCVIII, buris ante & pomeridianis.

IN AUDITORIO MAIORI

Publico Eruditorum disquisitioni exponet

GEORGIVS GOTTLIEB KÖHLER
de MOHRENFELD,
Leoberg. Siles.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1724.



AS
OHTAS MAVOM
THO LA MAIDOL

OMIETEIRADAM POTEI



Q. B. V. D.



Athologiam veram,
non modo ad evidentem perce-
ptionem, quomodo morbi fiant,
requiri; sed etiam ad veram me-
thodum practicam, qua morbis, &
causis ipsorum recte occurtere liceat,
necessarium prorsus esse, nemo du-
bitabit. Quonam vero fundamento illa nitatur, altio-
ris certè indaginis est quæstio. Sanè & quaternio ille Hu-
morum antiquissimus, cum intemperie cum & sine ma-
teria, tum cacochymia quasi innominata sequiorum ævo-
rum, tum potentiae Salinæ succendentium annorum, Tar-
taro paracelsico & equipollentes: tum ejusdem farinæ suc-
ci pancreatici & bilis vitia; tum varia fermenta morbosa,
minimè haec tenus sufficere visa sunt quo minus subinde
vel ad novum, vel ad particulare quiddam refugere neces-
sarium fuerit.

Æternum illud omnium hujusmodi Pathologiarum
scandalum, & tamen apud plerosque omnes morbos oc-
currens, testatur evidenter asserti mei veritatem: Est vero
illud determinatio insignis morborum secundum Tem-
peramenta; secundum Æstates: secundum Consuetu-
dines: secundum anni Tempora; secundum animi com-
motiones, imo sæpe numero nuda phantastica mentis fig-
menta in terrorem, micerorem, aut iram, exeuntia.

Cum enim concipi, nedum dici, minimè possit cur-
talis materia non in quolibet, sed tantum in certo corpo-

A fe,

pore, non in qualibet, sed solum certa ætate, generetur, aut si genita præsto sit, aut moveatur; non est certè, quod ejusmodi pathologia veracitatem suam affatim tueatur

Ne rimia & generaliori allegatione tempus consumamus, liceat sanè specialissima inductione CALCULUM pro exemplo allegare. Quot vero Opinionibus non materiam præbuit hoc Concrementum, & quantum exercuit hominum Speculationes! Veteres quidem cum sua intemperie calida Renum, humoribus modo frigidissimis, modo calidis, pituita item vitrea, quid docuerint, facilius sane fuerit audire, quam dicere. Videbatur majorem plausum mereri Paracelsus, cum Tartaro suo: Sed cum hic omnibus hominibus & Ætatibus evenire possit, calculus verò non nisi certis, & sic satis paucis, eveniat, laborabat denuo, & laborabit certè, in perpetuum, hypothesis: *Quis verò ferat aut laudet istas recensissimorum quorundam poëses, qui de scientifica pathologia pessimè merentes, alienissimo certè tempore atque loco Rhetores agunt, & de Spiritu Gorgonco, de Spiritibus lapidificantibus, & similibus tropis loquuntur: securi nempe, è quanam influentia hæc portenta peti debeant, & unde uni quidem homini evenire, alios verò cuncti non invenire, valeant.*

Quia vero Calculus quoque, si quis alius horum generum morbus, frequens, gravis, molestus, pertinax, curatu difficultis, existit; in quo quidem negotio aliiquid plausibiliter dicere, non parum operosum sit: placuit nobis hanc ipsam materiam, specimenis Inauguralis loco, tractare, & hypothesis novam de hoc negotio proponere, quæ nobis plurimas Pathematis hujus circumstantias exhaustire videtur, quamque proinde, licet origina-

❀ (3) ❀

ginaliter hactenus D. Pr̄sidis fuerit, hāc vice nostram
facimus, & tām deducendam, quam defendendam susci-
pimus.

Faxit Deus, ut non modo feliciter, sed & utiliter
res hāc nobis & studio medico eveniat.

CAP. I.

HISTORIA CALCULI.

Insigne fundamentum vera Pathologia semper arbitramur
esse veram morbi Historiam. Impinguus enim sāpe nume-
rō in vulgari Pathologia quando ex quibusdam alicujus affectus
circumstantiis, præcipue verò si illas absoluē consideramus,
sine relatione ad præcedentes aut subsequentes affines affectus,
rationaliter nobis concipimus, quales reliquas circumstanti-
as affectus talis verisimiliter habere possit, aut debeat: Cum ta-
men, si deinde veritatem practicam consulamus, non modo ni-
hil horum, sed sāpe numerō directè contrarium, deprehenda-
mus.

Quod ipsum, ut rectè & quidem tempes̄tivè, in ipso prin-
cipio, eviteatur, melius fieri non potest, nisi ut b̄istoriam genui-
nam affectuum, cum omnibus suis circumstantiis, quas reverā
Experiencia nobis s̄istit, studiosè colligamus, & tunc denum ex
illis omnibus, talem theoriam eliciamus, quā hisce morbi con-
ditionibus, nullā exclusā aut dissimulatā, rectè & ordinae qua-
dret. Laborabimus ad hunc typum, historiam quoque Cal-
culi concinnare, ut deinceps securè & efficaciter etiam subsu-
mere valeamus.

Quod itaque, primò, homines calculo opnoxios concer-
nit, sunt hi perpetuò babit corporis sanguinis prædominantis,
nempe laxi, porosi, spongiosi, in quem sanguis altè & copiosè
penetret, & sese insinuet. *Graciles*, ut rarissimum est, *Cal-*

culo obnoxios videre, ita si occurrant, vel hereditaria dispositio-
nione laborant, vel ab externis causis, & ante omnia absurdam
Empirica medicatione, vel aliquo effervescendo sanguinearum eva-
cuatorum abusu, vel ab externis violentis causis, Renes gravissi-
mè afflignantibus aut ex stimulantibus, id ipsum experiuntur.

Qui Calculo verè, & citrè externarum causarum violen-
tiam energiam, obnoxii vivunt, sunt juvenes ad minimum; fre-
quentius verò virt., immò seniores.

Concurrit per frequenter cum Calculo mīctus cruentus;
apud aliquos quidem antè calculi proventum; apud alios sub
eodem.

Longè frequentissimum verò omnium est, ut Nephritis,
nempe dolores exquisitissimi, acuti, ardentes, laciniantes, in
Rene, pluribus vicibus fese exerant, priusquam actualis Calculus
li excretio succedat, sequè sifstat.

Est verò Calculus adeò assiduus comes Hemorrhoidum ex-
ternarum, & podagra, atquè Arthritidis, ut inter rariores exce-
ptiones referendus sit podagricus, mulcum & graviter hoc malo
conflictari solitus, quin Calculus plurimum unā vexetur atque
affligatur.

Tantò magis verò illi, qui copioso Hemorrhoidum fluxu,
sepe, & diu, aut perenniter laborant, si harum suppresso ipsis ac-
cidat, quam præcipites sint in Calculi aut nephritidis, aut mīctus
cruenti successionem, docet sanè frequens Experientia.

Ejusdem verò Experientiæ est & hoc, quod Renes calcu-
losi, quasi ordinariè, non modò flaccidi, & semiconsumenti appa-
reant; sed etiam, si paulò penitus examinentur, purulentis
trātibūs, atque ductibūs, fistulosis quasi, aut sinuosis cuniculis,
penetrati deprehendantur.

Imo hujus ipsius planè Experientiæ etiam est, quod ille-
rations Renum chronicoteræ, ordinariè magnam quantita-
tem longè tenacissimi muci in urinâ exhibeant, qui visco, aut sa-
nè cochllearum vel angvillarum muco tenacissimo vix usquam
cedat.

Deni-

Denique verò de *Consistētia* quoque *calculi* notari appri-
mè meretur, quod hæc etiam specialissimam illam circum-
stantiam p̄r̄ se ferat, quod in emissione, recens excretus
calcilus manifestò *majorem* molem p̄r̄ se ferat, quam post
moram aliquam in aëre sicco *desiccatus*; ubi nudo & rudi visu
teste, in longè minus spatiū extabelcit, *aerescendo* nempe
manifestò, sive *siccescendo*; quod sane innuere videtur,
compagem ejus habere pro fundamento materiam aliquam
mucidam & *glutinosam*, quæ *siccatione* in capacitatem pluri-
mum angustiorem coëat.

Eodem consipiat satis difficilis solubilitas hujus generis
calculi; qui sancè, si nomen suum bono jure tueretur, & ter-
refractis effet prosapie, facilius longè subiret *solutionis* efficaci-
am: Ubi contraria hac dispositione, similiter potius *mucogluti-*
nosam aliquam prosapiam prodere atque exhibere, satis mani-
festè appetat.

Pereunt denique *calculos*, communissimè *Hædictis* con-
sumptionibus; nisi quidem à grandiorum *Calculorum*, præci-
pue in *vesicam* prolapsorum, eamque magnis doloribus affici-
entium, cruciatibus, præsentiore virium jactura & acutiori-
bus febribus absuntur.

Hæc est præcipuè *Calculi Renum* historia. Qui cum & fre-
quentissimus sit, p̄r̄ *vesicæ Calculo*, & per frequenter huic ipsi
prima rudimenta suppeditet, placet sane illum, *Renum* inquam
calculum, nra' ιξων hoc nomine censere.

Vesicæ enim calculi Historia brevioribus certè, sequenti-
bus maximè, circumstantiis, absolvitur.

Est *vesicæ Calculus* vel *indigena*, in ipsa vesica maximè na-
tus, seu educatus; vel *alienigena*, ex *Renibus* per *Ureteres* in-
hanc prolapsus, & vel reliqua sua *magnitudine*, vel *asperitate* &
acuminibus, in angustiis *urebra*, circa sphincterem vesicæ ob-
hærescens.

Habetur maximè primus iste, pro *vero* & *stricti* sensu
vesicæ Calculo. Evenit atatiori imò vix non *infantil*, cer-
te

tè puerili. Velim Exempla mihi dari infantum hoc affectu ve-
rè detentorum, quorum Parentes non *calculosi*, aut *arbitriti*,
aut *podagrifici* fuerint, aut ad minimum, aliquis è proximis *a-
gnatis* lineaè ascendentis. Sanè quotquot mihi observare con-
tigit, hujus generis omnino evidentissimè fuerunt, quo no-
mine allegare possum duos ex una illustrissima Familia filios,
quorum alter *septimo* anno ætatis, è *Calculo vesca*, dimidium
ovum gallinaceum mediocre exæquante, obiit: Alter ex simi-
li, sed ovum *analis* ferè superantè, *decimo sexto* ætatis anno, cum
summis doloribus *spasticis* decepit.

Infantes, qui Urinam fabulosam emittere videntur, vix
unquam, nisi *Nutricum* vitio, valde salsa diæta abutentium
hoc perpeti observantur: aut similiter *hereditaria dispositio-*
n Parentum, admodum infecti deprehenduntur.

Qui *adultiores*, aut *seniores vesca* Calculum gestasse me-
morantur, quoties ferè ille *diffractus* legitur, exhibuit inclu-
sum *Renalem fabulosum*, ex rubro flavecentem calculum, cui
universa illa reliqua massa, non aliter quam purum successi-
vum accrementum sensim in ipsa Vesca accessisse probabilis-
simè apparet.

Inter omnes has Circumstantias, apprimè sanè distingvi-
meretur, non modo *Nepritis à Calculo*; sed etiam *motus calcu-*
li à *præsentia* ipsius.

Quemadmodum enim per frequens, & bonum utique,
est, quod *Calculus*, etiam *grandis* sè penumero, licet *præstd* sit,
& per longissimum tempus à Patiente gestetur, tamen sine in-
signi vel *doloris* vel *vittiorum* Urinæ concursu ita subsistat. Ita e-
venit contra minimè raro, ut graves *spasmodici*, tenorii pre-
forii, dolorifici, *motus* nascantur, vel nullo *actuali calculo*, vel
exiguo tantum, subtus latant.

Eo ipso vero longè minus considerationem nostram fal-
lere debet, specialissima ista observatio, quod *motus hi spasticis*,
(ad eo què gravissimum in Calculo, *exacerbatio* tam *quantitatis*,
quam *exitus ejus*) longè magis & impetuosis, & *præsentissimè*,
qui-

Quidem, provocetur ab *animi pattemataibus*, quam aliâ quacunque, *materiale* irritatione.

Ubi tamen illud quoque adhuc commemorandum, quod proximam post *animi pattemata* efficaciam, ad *irritandum Calculum*, sive *motum* potius ipsius, habeant illa, quæ ex efflumptis *ventriculum* & *intestina* præcipue gravare, & *spasmodicos*, *sorminosos* motus, aut *flatulentas fluctuationes toni intestinalis*, inducere valent.

Denique verò ad *Historiam* quoque Calculi maximè pertinet, quod *mittus cruentus*, calculosis quidem non ita raro superveniat; rariissimè verò iis, qui *magnorum Calculorum*, aut *multorum etiam teneriorum*, proventu laborant; & quod reverà præcipuum est, quod in *gravissimis ejusmodi Patientium* anxiisque doloribus, vix unquam Calculi molimina comittetur *mittus cruentus*, nempe copiosi sinceri sanguinis cum Urina effusio: sed potius, quo copiosior sanguis procedit, tanto minor vel *dolor* vel *calculi* proventus, aut notabilis concursus, una deprehenditur.

Denique sub *historia Calculi* recensere omnino licuerit, omnium ferè *Practicorum* commendationem, qua *herbas vulnerarias* ad Calculum utiles esse, eumque modò *commuinere*, modò *repullulationem* ejus tollere, modo *dolorificas commotiones* mitigare & sedare pollicantur. Et contrà, quod omnia diu-
retica, non modò præsentes calculos *expellere*, sed reverà mani-
festissimè *proventum* ipsorum augere atque intendere, obser-
ventur. Denique, quod *Hippocrates* quoque jam observavit,
6. Aph 11. quod Nephriticis hæmorrhoides supervenientes,
adjumentum adferant.

Ultimo loco addimus, quod vero & *constans cura* Calculi Re-
nalis, præcipue verò in subjectis paulo anno foribus, experien-
tiæ testimonie, ferè magis, quam ullius aliùs chronici morbi
constans per sanatio, refragetur: sed ferè vel frustrè tantum
Pallietur, ad breve tempus, vel ad minimum subinde *repululet*
Calculus, vel in *hemorrhoides*, aut *podogram* fiat transitus, (licet

talibus vix unquam notabiliter tollatur impetus, aut solitus
proventus Calculi.) Vel transit denique in actualem magnam &
copiosam ulcerationem Renum, quam non ineptè Phibis re-
tem Authores aliqui appellant.

Ut itaque, velut in uno individuo, Historiam Calculi de-
scribamus, tale Exemplar sistimus. Vir Juvenis 25. Annorum,
habitus corporis sanguinei, aut *sanguineo-cholerici*, *plethoraicus*,
in *Adolescentia*, mobiliari vita generi addictus, aethac *Ætate o-*
tio, vino, & alii lauti diætae indulgens, alias quoq; bis vel ter ve-
næ sectione usus, cum per æstatem, compotationibus Vini ge-
*nerosi, & interdum *Salivationibus* atque *Equitationibus* vacasset,*
& à talibus agitationibus corporis, velut ordinariè valde de-
fatigatus, ad repentinam quietem transiisset, cœpit primum in-
*signem *gravitatem*, *tensionem*, atque *pressionem*, imò & actu-*alem* *contusorum dolorem* in lumbis percipere: neque vero ju-*
*giter in utrisque simul, sed magis in *sinistro* lumbo.*

Perfusus primò, quod hic Affectus nihil nisi *catarrhalis*
decubitus, ut vocant, existat, ipsa *quiete* sensim solatum
molestiæ obtinuit: Evenit vero jam bis aut ter, ut ex insigni agi-
tatione corporis, succedente notabili ejus refrigeratione,
repentinus impetuofus *dolor* in hoc ipso lumbo oriretur, qui
intenso *ardore* & *lancinatione*, gravissime patientem in tertium
usq; diem affixit, & quidem in lumbo sinistro, ita tamen, ut
ipse etiam *testiculus* hujus lateris, circa exitum ex *abdomine*,
id est, circa *Vas pyramidale* varicosum, notabilem molestiam,
imò dolorem inflammatorum indidem exsereret. Usurpatis
Remedis lithontripcitis & pellentibus, denique erumpit
calculus exiguus, seminis coriandri magnitudine: Habuit inde
per aliquot tempus diversimodè, modò satis benè, modò his
ipsis locis deterius: interim raro sponte aliquid fecedit *sabu-*
losum, ne dum actualis *calculus*: usurpatis vero *juniperinis*, *bac-*
cis alkekengi, *fragis*, *petroselino* &c. procedit subinde modò ali-
quid *sabuli*, modo parvus *calculus*.

Similem, licet *levierem*, dorsi & lumborum molestiam,
inter

Inter 30. & 40. annos expertus alius, sed *sanguineo-phlegmaticus*
 habitus vir, incurrit jam duobus annis, semel aut bis quolibet,
 repentinam non modo *appetitum*, sed & *vitium* dejectionem,
 coorientibus mox *torminibus* in abdomen; quibus modo *vo-*
mitus, modo *diarrhoea*, modo utrumque, accessit, & ad modum
 male per 4, 6, 8, dies inde habuit: Nuper demum tandem
 erupit una exolescente reliquo tumultu, *Calculus*, mediocris
 pisí magnitudine. Alii quibus alterutro modo calculi proveni-
 tus obtigit, succedente etate plurib⁹ annis bis, ter, quater di-
 etorum generum perturbationibus obnoxii facti, hujusmodi
 pathemata, temperamento tali respondentia, experti, simul
 nunc & tunc, modo *sabulum*, modo *Calculos* excernunt, mot⁹
 corporis succuslatorios, mo & alias sanguinis turgesfactorios,
 non sine presenti noxa & incommode suscipiunt; quoti-
 es insignis alteratio ab aere turbulentio, frigore, praesertim
 humido, cibis crassioris succi, animi pathematibus, excre-
 tionum debitarum, impedimentis, eveniunt, statim hoc lo-
 eo, in hac vicinia, sua pathemata inde persentiscent: Ea ta-
 men adhuc differentia, ut qui magis purè *sanguinis* sunt habi-
 tus sensibilissimos cruciatus, & *inflammatorios dolores* inde pati-
 antur: Qui vero magis *phlegmatici* sunt texture, aut quadan-
 tenus *gracilioris* staturæ, ferè minus doloris, sed plus stuporis,
langorū, *flacciditatis*, experiantur.

Utrisque, maximè tamen *sanguineis*, familiare est, ut sub
 tempus emicantis ejusmodi exacerbationis, multa diurna,
 aut ad minimum per frequenter recrudescente, *horripillatione*
 & *refrigescencia* percellantur, quam denique *calculi* excretio
 subsequitur.

Quibusdam talium, post frequentius usurpata *Diuretica*
 fortiora, præcipue, *Spiritum nitri acidum*, aut leviter solum
 dulcificatum, evenit copiosa muci tenacissimi cum urina excre-
 tio, atque ita *sabuli* quidem & *Calculi* moderatio, *Renis* vero
 B. ma-

magis manefia, in modo prevalida, ulceratio, cum febrilibus lentis, bedictis, & labidis, confectariis.

Vix quisquam ex omnibus calculo vere, & paulo diutius obnoxiiis, liberatur amplius *constanter* ab hoc ipso malo, nisi adhuc admodum vegeta *estate*, & virium *energia*, gaudet.

Intervim nequaquam cum fabulo aut calculo confundenda est Tartarea salina, crystallina, angulosa concretio, quam talium, præcipue *sangvineorum*, interdum verò etiam *cholerico-melanocholericorum*, Urinæ innasci deprehendimus; Licet enim à tali sanguinis dispositione, que *arthriticis*, valde solennis est, calculi *proventus* valde promoveatur, reverè temen nequaquam absolute calculum *format*, aut producit, confirmantibꝫ id pluribus Exemplis, hominum Tartarea hujusmodi Urina frequentius laborantium, citrè ullum *veri*, calculi proveniunt.

Et hæc pro Historia calculi, secundum varias circumstantias tradenda sufficerint.

CAP. II. ÆTILOGIA.

Pro hâc, sine prolixis ambagibus, ex nostra mente, è phœnomenis recentis explicanda, præsupponimus, quod omnis *Corruptela* sanguinis, sive *apostematos* suppurratoria sive *ulcerosa*, *ichorosa*, *manans*, *occurrente* *salsugine*, facile in *mucidam* *lentesceniam* abeat: Imò propter prurigo sum sensem, ab ejusmodi *salsugine*, in ipsa affecta parte produceturum, non modò plus *affluxus*, sed & *effluxus*, producatur, & ipsa semel facta lœsio unitatis, difficillimè inde resarcitur.

Quando itaq; in habitu *poroso*, *sanguineo*, & statu *sanguinibus* *plethora*, concurrentibus occasionalibꝫ *stimulis*, ad excretiones *sanguineas* dispositio subnascitur; vergit verò, partim per *atratis* *rationem*, partim per *externas irritationes*, magis ad *regio*

regionem *externarum hemorrhoidum*, exitum verò ibidem non
æque expeditum nanciscitur: si inde *restringatio* atq; regur-
gitatio ad proximam vasorum *emulgentium*, & consequenter
Renum, regionem. Unde in statu quidem *sanguineo*, *stasis in-*
flammatoria, in *phlegmatico* verò, *ulerosa*, facile subsequitur.
Utraque, præcipue verò prima illa, *purulenta*, glandofæ
substantiæ renum *dissolutio*, mox & facile transit in *ulcusculum*,
per *salsuginis* incessabilem concursum $\delta\sigma\tau\pi\alpha\lambda\epsilon\tau\omega\tau$: Substan-
tia interim *lymphatica* γλυχες exfundans, ab hac ipsa *salsagine*
pingvi, primò quidem in *Lentorem*, mox in *tophaceam* crustam,
constringitur atque coagulatur, ut inde crusta veluti *callosa*
efformata, postmodum *tophaceam* illam consistentiam præse-
te ferat.

Certè enim non modo propria experientia aliquoties ad-
speximus, *Renes calculorum ulcerosos*, *fistulosos* & *sinuosos* ulcus-
culis, quasi *cuniculis*, latè subrutos: sed probant id etiam com-
plurium observatorum numerose historiæ, quales tūm apud
Schenckium, tūm *Moronum*, tūm *Bonertum* in *Sepulchreto*, tūm
alibi pasim, occurserant.

Et licet satis frequenter contingat, ut *calculus*, sæpe nu-
merò quidem haud *exiguus*, in capacitatem *pelvis* deprehenda-
tur, qui nuspiam parieti *Renis* cohæreat: Nos tamen quæ
hujusmodi Exempla adhuc propriis oculis usurpare potui-
mus, semper unà manifestam *substantiam* *Renis fistulosam ulcerata-*
tionem conjunctam habuisse, deprehendimus.

Et hinc quidem est, primò, quod hic affectus, præcipue, &
cum maxima vehementia atque pertinaciâ, incumbat in *Ara-*
iem, molimainibus *hemorrhoidalibus* appropinquantem. Secun-
do, quod ex genio *ulcerationis*, semel facta ejusmodi *pervuptio*,
eroso, deinde in *ulcusculum* perpetuo manans, & vix unquam
consolidabile, converatur, adeoque οὐαπτῶντα lafio-
nem formet atque soveat: Quæ tamen tertio, accedentibus
gravioribus *irritamentis*, nunc & tunc in *sinuosam* & *fistulosam*
malitiā invalescens, *ulcerationis* impetum longè lateq; por-

rigit & extendit. Ex eodem quoque fundamento *quarto* per *stimulativa acria medicamenta*, proventus ejusmodi *lenioris*, & successivè crastosi *coaguli*, promovetur, ut exturbato licet uno frustulo, non deficiat alterum.

Cum verò, *ulcerationes falsugine* semel inquinatæ, etiam extus in corpore, sine artificiali, immediata *undificatione*, non nisi difficillimè fanentur; tanto magis in hoc casu, intus in corpore, sub affluxu perpetuo *falsæ acrimonie*, foyetur *ulceratio*, & consequenter *lenioris saniosi*, & ex hoc deniq; *coagulo* mucido topheaci, proventus. Unde, qui semel calculum subierunt, verum satendo, vix unquam veraciter & constanter percurantur.

Quen admodum verò hæc veluti generalis ratio *Calculi Renum suborientis*, existit; ita tanto magis *Nephritis*, Calculum modo præcedentis, modo comitantis & intercurrentis, causa, est *Congestio* illa, seu *restrictio* sanguinis versus & ad Rennes, ad hanc actualem corruptivam *ulcerosam* statim, deinde per accidens solum pertingens.

Unde quidem *mictus cruentus*, in illis, qui porositate habent corporis ad ejusmodi perruptiones dispositi sunt, primum hujus generis est molimen; ubi verò diversa Corporis compages, exitum non æquè concedit, & tamen congettio expectans suscipitur, ibi fit tensoria ejusmodi, & inde *lancinatoria*, imo *inflammatoria* stagnatio Nephritica. Ubi verò de hac stagnatione, quantulacunque *corruptionis*, sive *purulenta*, sive *Salfo ulcerosa* denique subnata est, ibi fit tranitus ad actualem *calculi* genesin, ut hactenus dictum.

Ex his iisdem rationibus pendet Calculi præcipue *commotionis*, seu exacerbatio. Contingit hæc verò per *duplicem communiter causam*; *Agitationem* videlicet *physicam*, aut *conciationem moralem*. *Physicæ* commovetur sanguis circa & versus renes, per *succussionem*, *Equitationem*, *vecturam*, imò & immodi-
cam *venarem*, *lapsum* in lumbos. *Moralis concussio*, fit per
irra-

iracundiam præcipue, imo etiam, licet *avouata*, per terrorem.

Meretur verò utique Considerationem hanc exacerbatio Calculi, imo & Nephritidis. Nec enim modo, qui actuali, præcipue *grandi* calculo laborant, sed etiam alii, quibus vix *sabulum* abundat, si repentina *iracundia* exardescant, præcipue verò *clandestina* & *diffusulata*, sentiunt post parvum tempus (unam vel alteram horam, interdum tamen etiam tardius,) *langorem* in universo corpore, cui sensim succedit *gravitas* in lumbis, aut alterutro horum, qua paulatim in *dolores*, Urinæ *imminutiones*, paucitatem & *tenuitatem*, pergit, & pluribus horis, imo diebus, affligendo, denique vel iterum sensim evanescit, sine aliqua *excretione*, vel talem post fese trahit, *calculo* emissio.

Ubi certè in iis, qui *actuali* calculo obfessum habent Rem, nemo homo conceperit, quomodo ille tam diu *quiescere* possit, sine ullo sensibili patientis incommodo, donec ille deimum *transcatur*, & quomodo *tra* calculum, hactenus quietum, jam agitare & impellere valeat?

Illud verò utique rationi consonum, & conceptui obvium est, quod Calculus ipse non minus, quam ejus quasi *Matrix ulceratio* renis, ut res præter naturam, *amolitionem*, & quantum fieri potest, expulsionem sive *extrusionem* è corpore, mereantur. Adeoque sic ubi ejusmodi *intenso* in generè, *molestiam* aliquam amoliendi, *iracundia* nempe, alicunde concitatur, aliquid verò *molestem*, excusionem quasi violentam è corpore meritum, præsto est, quid mirum, si deficiente effetu contra *directum* intentionis suè *objatum*, ad hoc aliud intentionem dirigat, eique excutiendo & expellendo, vim impendat.

Tanto magis verò hoc, cum ad hanc excussionem nihil aliud requiratur, quam *Motus*; *constrictio* nimirum *renis*; & *successivè ureteris*. Unde, cum illud agens, quod *morbis*

præst, iracundia, tanquam intentione ad depellendum, excutendum amovendum, quicquid molestum est, incitatum, facile motus suscipiat; idem hīc quoque, & in aliis congenibus casibus, facere, tanto minus mirum habendum est.

Confirmat verò haecenū tradita, illud maximè phœnomenon, quod quibus calculosis pellentia, imò saltē efficitoram mundificantia, & abstergentia internarum exulcerationum, exhibentur, iis quidem ulceratio illa copiosius manare, & tenuax mucidum vixidum sedimentum in Urina formare incipiat, sed eo ipso calculum ulterius suppeditare desinat: sublata nempe mora, ad coaguli concrementum necessariis.

Evenit verò propterea Calculus illi præcipue Aetati, quæ excretoriis sanguinis molimībus circa hemorrhoidalia emunctoria exposita evadit; Neq; hoc tantū, sed iis etiam, qui aetatu jam excretionibus hemorrhoidalibus, sed minus recte succedentibus, affecti sunt aut affvesaci, unde jam ipsius Hippocratis 6. Aph. 11. Nephriticis hemorrhoides supervenientes solario esse, obserratio est. Et sanè confirmat id quotidiana experientia, quod Nephritis, calculi, & præcipue mictus cruentus, magna sit apud hemorrhoidarios familiaritas, & complicatio, aut mutua inter se successio.

Quæ omnia sane, si recte considerentur, non modo symptomatum Nephriticorum & Calculosorum rationes promptiores exhibebunt, sed etiam tum Prognoseos, tum Therapias, diversas forsitan à vulgata methodo seimitas indicabunt.

Subiungimus ultimo loco magnam illam convenientiam Urine articularium cum Nephritico-calculosa incipiente; dum videlicet Articularium Urina, per frequenter Tartaro illo, qui vulgo perperam profabulo venditatur, abundat; crystallulis nemper bomboideis, pellucidis, partim ad fundum viri subsideantib; partim vero lateribus Vix tri tenaciter accrescentib; Unde quidem quoties hujus generis tartareum fabulum è sangvine ad renes pervenit, nisi ulcera illa viscostrata ibidem praeflo-

Nō sit nullus erit calculi proventus: facilis verò & sœcundū, si illa adsit. Quod Experientia multiplex testabitur circum-specie obseruantibus.

His omnibus, ultimo loco, commodissimè accensimus consensualia illa, tam *hypochondriaca*, & *colica*, alvi quoque cohibitiva, quām musculum *psoas*, imò hujus consensu, ipsius *femur*, atque *Crus* afficiant, *spastica*, tensiva & stupefactiva pathemata, paroxysmis nephriticis & calculosis admodum familiaria; præcipue quidem in talibus subjectis, quorum habitus corporis laxior est, adeoque *tonico*, *spasmodicis* humorum pressionibus & propulsionibus, aptior. Unde ferè rari sunt hujus texturæ Patientes, quin, si calculo affecti sint, simul etiam subinde modo dictis consensualibus *spasmodicis* strictris exerceantur. Ex quo ipso proinde jugiter dilucescit, quod nephritico-calculosa pathemata, plurimum in ejusmodi moliminiibus motuum *spasticorum* consistant, quibus variae translationes, & ultimo *expressiones* humorum, peragi possunt & solent, ut haec tenus passim pluribus à D.D. Præside notatum & demonstratum est.

CAP. III.

THERAPIA CALCULI.

Generalis calculi medicatio involvit meritò etiam *Prognos-*
sin eiusdem. Sanè quidem *prognosis* dicere debet, rem quæ
Veritati Experienciarum respondeat, extrà quam non nisi fallacia
& somnium erit. Hujus generis veracem prognosin, si ab Experi-
entia petamus, nunquam aliud quicquam de vero & consum-
mato calculo, illa nobis suppeditat, nisi quod pertinacissima, &
usquè ad tumulum comitans ejus *repullulatio*, observetur; &
Curationē plenarīum adeo rarissimè admittat, ut si quid hu-
ius generis observatum esse videatur, (loqueror de vero consum-
mato)

matoque, calculo, non de tartareo illo lateribus vitri adhærente, fābulo) magis sere *eventus*, quam certus *effectus*, artis dīcendus videatur.

Omne, quod ars, præcipue *vulgarata* methodo, hic perpetuare potest, in eo ferè consistit, ut partim *insultus leniat*, partim calculos, ut vocant, *pellar*.

Lenitio illa, minimè omnium commode peragitur per *Opiata*, nisi follicite conjungantur *alexipharmacæ*, & ipsum regimen mediocriter diaphoreticum: secus enim si fiat, sex insignia exempla nephritico Athriticorum, intra parvum tempus notavit D.D. Præses, qui ab *opiatorum* usu, paucis horis, aut diebus sanè, perierunt.

Meretur hoc nomine peculiarem prorsus commendationem pulvis *B. Volkammeri*, Practici experientissimi; qui sicut ab omni narcosi alienus est, ita *antispastica* sua, quam à gemmis ingredientibus habet, efficacia, maximum in hoc genere vim exerit. In placandis, inquam, accidentibus *spasticarum* commotionum calculum comitantium, quamvis calculum ipsum ejusque, proventum, non tollat aut curet.

Leniunt verò ipsos insultus, etiam ea quoque illuunt, & tum acrimoniam seri in genere corrigunt, tum circa ipsos renes, blanda abstensione succurrunt. *Prioris* generis, præter equo-fa diluentia in genere, sunt etiam *formulae* decoctorum lubricantium, unde decocta *aperitiva* & *emollientia*, *Cichoreacea* etiam, locum hic habent. *Posterioris* generis, sunt *lubricantia* subpingvia, oleum *anygd.*, *dule*, & ipsa *Emulsiones* dilutiones, & sufficienter *saccharata*, ne vel in *mucorem*, vel in *acerbam austerioratem*, quod ferè faciunt, degenerare valeant. Commendantur etiam huic scopo *Althæa*, *Glyzirrhiza*, & similia temperantia & temperata. Quibus non injuria accensenda est *Conservæ Rosariū*, in hoc casu non minùs, quā in pectoris vitiis, non contem-

temnenda. Prout in genere notari meretur, quod, quæcumque in pectoris vitiis solamen afferunt, eadem Renum quoque lesionibus percommodo subueniant.

*Dissolutionem Calculi pollicentur Dispensatoria, & transcribunt Materiæ Medicæ Scriptores, unus fere ex altero: ubi quidem variis, modo vegetabilis, modo animali, modo minerali, Regno hanc efficaciam tribuunt: Si tamen experientia consularit, vix vilium ex iis veritatis testimonium meretur. conseratur Capivacc. Pr. I. 3. c. 28. *Erasmus. Consil. 26. Dudithius ap. Scholzium, Ep. 4. &c.* Sane enim distinctione inter generationem & suppeditationem *sabuli*, & inter comminutionem jam praesentis & existentis calculi summopere attendenda est. Praebent certe multa talia, vel materiam, ut inde *sabulosa Urina* mox succedat: aliqua ad minimum affluxum materiæ jam in corpore hærentis, ad *renes* augent & incitant. Sane qui lapide *iudicio, lycis, & similibus, operæ* pretium fecerint, & non potius antiquam cantilenam, distinctionem nempe inter *curationem & sanationem*, inde occinant, nuspian adhuc vidimus.*

Pollicitationibus itis de efficacia *Astellorum*, sane neminem, unum novimus, virum cordatum & veracem, qui hic Experientiæ testimonium subscribere in se susceperebat; Contraria potius observatio in Epistolis *Dæringianis* ad Sennerum prolixe legi potest. Efficacia *Gryllorum* in Act. Nat. Cur. allegata, Experientia nondum stabilita est; Non fecus atque aliud ibidem narratum experimentum de Calculo per *vesicam leporis* combustam in limum resoluto, & quæ sunt alia huius census.

Efficacia stupenda, quæ in scripto comico, *Euphormione*, a *Johanne Barclajo*, tribuitur *Virga aurea* *Gesneri*, ad resolvendum Calculum, cuius experientiæ haftenus responderit, nondum nobis innotuit; Nostræ sane operæ pretium minime fecit: Commendatur tamen hoc nomine etiam ab *Arnaldo Villanova* L. 2. Breviarii Pract. C. 18. *Johanne Pravorio* in Med. Pauperum, *Alexio Pedemontano de secretis* L. 1.

Tanto minor hoc nomine est effectus petroselini. *Fragorum, bacc. Alkekengi &c.* Licet urinam & calicum pellant; quod quidem fatis efficaciter faciunt, adeo, ut inde D. Di Præsidi exemplum fonticulum obvenerit, ubi puellus illustris nondum quinquenais *morbillos* excludere incipiens, ab *qua Fragorum* vana opinione refrigerandi, paulo largius exhibita, post duas circiter horas, vehementissimum *dolor em lumborum*, cum multiplici *midione*, *morbillorum* vero præcipiti & plenaria retrocessione, & succedente copiose vomitu, paflus, vix gravissimum periculum evasit: Non aliter, quam apud Riverium in Observationibus, puella *Variolis* laborans ex usu aquæ petroselini dysuriam lethalem subiit.

Cui tamen volupe est, hujusmodi *libbonripeicorum* re-
censionem & commendationes legere, audeat *Amstingum* de
Calculo C. 12. Thef. 26. 27. & C. 16. Thef. 33. Ubi de *Aſſillis*; & de
iisdem *Hollerium* l. 1. c. 48. *Prax. Heurnum* de Affectibus Pe-
ctoris c. 4. *Libavium Syntag.* Tom. I. 2. c. 29. & *Hörzerum*
de Nephritide l. 2. *Horat. Augenium* Tom. I. 1. 4. *Epif.* II.
l. 9. &c.

Præsentior & verior efficacia, pro Calculo pellendo inest
cum his, tum aliis *diuretica* energia præditis. Sed longe diver-
sa est quæſtio, cuius nos quidem negativam potius tuemur,
an expediatur calculum pellere? sanè enim cum Calculus, pellendo
incitatus, *spasmodicam conſtrictionem* Renis & Urteris suppo-
nat, hæc verò transitum ejus potius impedit, quam faciliter,
vix unquam ferè *simpliſtter pellentia* sine insigni incommodo
adhibita novimus; Præcipue, si Patiens, quod valdè famila-
re est admodum *sanguinei* temperamenti existat, quales etiam
ab exiguis calculis, admodum penetrantes & *inflammatorios*
dolores persentiscere solent.

Commendant Practici varias *herbas vulnerarias* contra
Calculum. Verū si quantumcumque *adſpringentes* fuerint,
sine notabili exacerbationis incommodo minimè usurpan-
tur, si calculus jam increbuerit, aut in manifestiore *ulceratio-*
nem

nem Renum, cum continuis dorsi incommodis, transiverit.

Nostrâ Methodo, & quotidiana Experienciam practicâ, nihil hic præferimus Nitro, cum Sale aliquo digestivo, de Vitriolico-tartareorum genere; abstinendo ab illo *Sylviano*, & aliis è Sale communi præparatis. Addimus mediocrem dosin *Cinabaris*. Quo sanè remedio in p̄e occupando, minuendo, imo tollendo paroxysmo, plns, & quidem paucō tempore, obtinetur, quam per multas pretiosas formulas.

Conjugimus curam *alvi*, ut illa in expedito sit: imo licet alias succedat, sublūimus tamen *Clysteribus carminativis*: ubi non rejiculam deprehendimus traditionem *Simonis Pauli*, in Historia *Veronica*, de *Clystere* ex hac herbâ, ad hunc affectum proficuo. Valent verò *Clystere* ante omnia in hujus generis *Colico nephriticis* pathematis.

A calidis, oleo *Therabintina*, juniperi, succini abstinemus, aliosque dehortamur; neq; verò ipsas adeò *Petroselini*, *Fragorum Urtica* & similes aquas, valde commendamus: Licet succum urtica, & reliquam totam ejus substantiam, cum herbis trave-matis moderatis, alia intentione non damnemus.

Preservativè svademus tempestivas, circa solstitia, *Venerationes*: præcipue verò *consuetarum V. S.* & *scarificationum*, continuationem & reasumptionem.

Pro *Laxativo* quoque scopo, *Rhabarbarina* præcipue laudi-mus. Coeterum leni trammatico scopo ferè commendamus *succinata* temperata, *Gummi juniperi*, & alias *Gummi resinas*, cum herbis *vulneratis* temperatis, *Charefol*, *bedera terrestre*, *pyrola*, *Sanicula*, *virga aurea*, *axeric*, *muris*, *consolidis* &c.

Possunt talia commodis formulis, nolle modico contem-perari, vel *hydromelis* maritari. Ut enim *mellis* in se absteriva est efficacia; ita tantò magis his talibus alteratum, subordi-natis scopis inservit. Unde etiam *Hydromel* calculosis pro potu ordinario commendat *Amasingius* c. 14. Th. 10.

Minus verò convenienter *aloeatica myrrbata*, & quæcunq; alia balsamica acriora, *surgescentiam* sanguinis promoventia. Cer-

te, ne quidem balsami peruviant, aut *Cipayen* usus, citra sensibilem ardoris, caloris, fuscitatis oris in Patiente, & sitis, sensu procedere observatur.

Ceterum in *Nephritis* paroxysmis, juxta cum hujusmodi temperantibus *Nitrofit*, *alexipharmacum* quoque discutientia, febrilem impetum praecoccupantia, in usum trahere, ipsa ratio svadet: vbi quidem ex *Helenio* *pimpinela alba*, *vincetoxicum*, *Imperata*, & *scordio* præparatas essentias, aliis præferre solemus.

Quæ quidem ita pro *Therapia* quoque alle-

gasse sufficiat.

SOLI DEO GLORIA,

Lipsia Te primum medicas formavit ad artes,
Coepaque provexit nostra decenter *Hala*.
Nunc *Ordo* dignum Te judicat undique noster,
Ut capias laurum perbene pro meritam.

Quibus brevibus Eruditioni & Modestie nobilissimi
Dn. Candidati literari voluit.

FRIDERICUS HOFFMANNUS.
D. P. P.

Doss.

Dotibus ingenii felix, & in arte
peritus,
Köhlere, ad summos recte succedis
honores
His gradibus: Pietate simul, cura-
que jalubri
Si perges Artis Medicæ munire la-
borem,
Non Te destituet benedictio Numi-
nis, atque
Successus faustos, & prospéra quæ-
que benigne
Præbebit, Voveo felicia fata, peren-
nem
Fortunam, eventus dextros, famam-
que secundam.

Clariss. Dn. Candidato
gratulabundus p.

P R A E S E S.

Doctor eris, nam sic tua docta Scientia monstrat,
Lipsia quæ favens imbuit alma Tibi.

Arte

Arte tua prodeesse ægris non desine. Vive
Cum pace interea! Reppeto: Doctor eris.
Amica mente manuque sc.
MELCHIOR TSCHENTSCHERUS,
Pastor in Ulmis.

Madrigal.


So ist, der Fleiß erhält den Preis
Diß zeigt die theure Krohne.
Die Ihm Hygea schenkt zum Lohn,
Als einem, der sie wohl verdient;
Ich sage nichts von den gelehrten Schähen,
Wodurch Er sich auch hicher könne sezen,
Nichts, wie bey Ihm die reine Freundschaft grün,
Weil diß ein jeder weiß;
Ich sage nur: der Fleiß behält den Preis.

J. W. TIELEMANN, Med. Stud.

Calculus haud fallit, Medicina Candide Cultor,
Ad quem Tu Studium Strenuus omne vocas;
Calculus id solide discussus monstrat abunde,
Ille Tuo Genio, hic Renibus instar acris:
Hinc & Uterque parat clarus meritam Tibi Laurum,
Sic & apud quemvis Calculus albus cris.

Quod Nobilissimo Clarissimoque Dno. Doctorando,
Fautoriac Amico suo Integerimmo, cum
voto oīnnigenæ prosperitatis, promta qui-
dem manu, sed animo gratulabundo, scri-
bere voluit, debuit.

J. J. STANGIUS, Servesta-Anhaltinus
Med. Stud.



Ua 5316

ULB Halle
004 109 724

3



5b

WOMZ

B.I.G.

Black
White
3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA
Tradens

33
34
**NOVAM PATHO-
LOGIAM CALCULI
RENUM,**

QVAM

DEO ANNUENTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENB. HÆREDE &c. &c.
JUSSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
IN ILLUSTRI FRIDERICIANA

SUB MODERAMINE
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
D. PROF. PUBL. ORD. ET FACULT. MED. ASSESS.
DN. PATRONI, *ATQUE PRÆCEPTORIS OMNI PIETATIS*
CULTU DEVENERANDI

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA, rite ac legitimè capessendi,

Ad d. Octob. MDCXCVIII, horas ante & pomeridianas.

IN AUDITORIO MAIORI
Publico Eruditorum disquisitioni exponet

GEORGIVS GOTTLIEB KÖHLER
de MOHRENFELD,
Leoberg. Silez.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1724.